EPITOME HISTORIAE

DE ORIGINE, ET INSTITVTO FRATRVM EREMITARVM Ordinis S. PAVLI PRIMI EREMITAE:

AVCTORE

R. P. PAVLINO KLODAVSKI

Sac. Theol. Doct. ac Socio Reuerendissimi P. Martini Gruskouich Generalis, conscriptum Anno Dñi 1635.

Et per P.F. IOANNEM VANOVICZI Hungarum eiusdem Ordinis, Collegij Germanici & Hungarici Alumnum in lucem editum Anno Domini 1639.





ROMAE, Ex Typographia Hæredum Francisci Corbelletti. M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Praeeminenti ac Ill.mo Collegio Romano eiusque Bibliothecae donat, indignus Fr. Ioannes Vanoviczi Ordinis S. Pauli Primi Eremitae Collegij Ger.ci et Hun.ci Alumnus

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. B. Episc. Camer. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Reginaldus Lucarinus, Reuerendissimi P. Sac. Pal. Apost. Magistri Socius.



CONFIDENS
Tibi derelictus est pauper
Psalm 9
S. Paulus primus Eremita
Dni 1639 Romæ. VR

ILLVSTR.^{MO} AC REV.^{MO} DOMINO DOMINO

GEORGIO IAKOSITH DE ORBOVA

EPISCOPO VVESPRIMIENSI, lociq; ac Comitatus eiusdem Supremo, ac perpetuo Comiti, Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Maiestatis Consiliario, ac per Regnum Hungariæ Regnali Cancellario, &c.

Domino, & Patrono benignissimo F.





VIS felicem ac salutarem solitudinis vastissimæ Thebæorum, Palmã illã, quæ Antesignano familiæ Paulinæ Paulo Eremitæ nonaginta octo annorum spatijs victum & vestitum præbebat (testante * *D. Hieronymo) laudibus non extollat? Palma es felicissima Præsul Illustrissime; fortis illa, tua acta fortissima: Illa fructus profert nonnisi annosa, at fru-*

* S. Hieronymus in vita S. Pauli Primi Eremitæ, q̄ vide in to. 1. Surij die 15 Ianuarij.

ctus tuos in florentissima ætate quis non admiretur? Fructus eius suauitate iucundi, at fructus operum tuorum suauissimos quos profers in reductione animarum à Fide Orthodoxa & Catholica aberrantium non adæquat, illa folijs densissimis vnius Pauli corpusculum contexit, Tu virtute tua eximia Inclytum Hungariæ Regnum protegis, & authoritate diuina prouidentia tibi concessa regis; Familiamq; Paulinam vestigijs tuorum Antecessorum Antistitum VVesprimiensium insistens totam tegis liberalitate. Etenim cum Patria Te Præsulem Thiara dignum, Te Pastorem vigilantissimum, Te promotorem Religiosorum singularissimum omnes & singuli vna voce pronuntient: Roma quoque (& licet iam antea virtutes tuas præclaras in Collegio Germanico & Hungarico studijs inuigilantis æstimaret) vt virtutes tuas in eminentiori solio solidatas varijs vijs admiretur iure optimo promereris. Quare id quod Tibi Præs. Illustr. offero, obtulerat Auctor, piæ recordationis Familiæ Paulinæ pio Generali, qui conspexit quidem opus compendiosum, non nouum, sed nouiter ex vetustissimis tàm manuscriptis, quàm impressis Codicibus, & Annalibus Eremitarum collectum; conspexit

xit inquam, & veluti opus dignum luce, in posteritatesq; deriuatione, laudauit, approbauit. Verùm cum vita humana, non humano, sed diuino subiaceat arbitrio, propter mortem præmaturam impressi operis suauitate oculos oblectare non poterat. Paulinus Auctor qui Paulinæ Familiæ ortum & initium inuestigauit laudem non aucupatur, licet eius laudabilis virtus cum Prouincialem Eremitarum in Polonia ageret, tam latè se se effunderet, vt omnibus non modo grata, sed & fructuosa videretur. Vnde quod ille diligentissimè collegit, illud non modo Tibi, sed nobis omnibus, alijsq; scire cupientibus ortum Eremiticæ stirpis, periucundum gratumq; spero fore futurum. Epitome igitur Eremiticum, cum eius sit excellentiæ, vt hæreditatem in Fratres Paulinos ab Antesignano Paulo Thebæo, eiusq; Hospite diuina prouidentia Antonio deriuatam, veluti in speculo mortales intueantur, contemplentur, admirenturque, Tibi dicandum statui, vt si parùm ab Authore obtinuerit concinnitatis, à Tua gratia Præsul Illustrissime consequatur multum protectionis & fauoris. Denique Ortum Paulinum breuissimè enucleatum, ea animi beneuolentia qua solent ampla volumina suscipi, suscipe,

Tuo-

Tuoq; singulari ac benigno Patrocinio ortum breuem in longam seriem, vt cepisti, digneris dilatare. Vale, & cum prosperitate, Deo duce, Roma in Hungariam reuertere. Romæ in Collegio Germanico & Hungarico die 19. Iunij Anno 1639.

Illust.mi ac Reu.mi D. Vestræ

Seruus deuotissimus

Pater Fr. Ioannes Vanouicz O.S.P.P.E. Colleg. Germ. & Hung. Alumnus.

EPITOME

DE ORIGINE, ET INSTItuto Fratrum Eremitarum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ.

CAPVT PRIMVM.

Vita Eremitica vnde, & à quo prodijt.

§. I.



IRGA Eremiticæ stirpis non in superbis domibus Vrbium, nec in amœnis, & voluptuosis mundi hortis, sed in humili, aspera, & condensa Ægypti Eremo prodijt, de radice Sancti Pauli Thebæi primi Parentis, & genitoris omnium Anachoretarum. Qui Thebaide in Ægypto Anno à Christo genito 230. natus,[a] cum quindecim esset annorum, non tàm declinandæ persecutionis Decij & Valeriani, quàm suaueolenti odore solitudinis illectus, elegit potiùs opacam & humilem spelũcam Eremi Aegyptiacæ, quam superba palatia Principum inhabitare. Vbi cum per 38. annos de fructibus Palma-

a 8. Hieronymus in vita Sãcti Pauli P. Eremitæ.

[b] *Vide Surij to. 1. in vita S. Pauli.*

[c] *In Breuiar. Rom. in festo ipsius.*

rum vixisset,[b] & 60. annis Coruus dimidium panis illi subministrasset, cursũ totius vitæ suæ 113. annis, complens, factus est omnium Eremitarum Auctor & Magister[c] Ecclesiæ sanctæ voce; relinquens ipsis Regulam viuendi non calamo, sed austeritate vitæ suæ descriptam.

§. II.

HÆc igitur Virga antiquæ Sobolis Paulinæ egit radices suas excedens terminos Ægypti, in Palestina, Syria, & alijs circumuicinis Prouincijs. Quæ postea cælesti rore irrigata, breui tempore creuit in arborem longè, lateq; patentem, plurimis, & vniuerso mundo admirãdis, ac saluberrimis fructibus onustam.

§. III.

EX his, primarius fuit ille Magnus Antonius terror inferni, qui cum Regulam Angelicæ vitæ Sancti Pauli primi Eremitæ vidisset, & legisset, in præsentia suorum discipulorum lacrymabundus exclamauit,[d] Væ mihi peccatori, qui falsum nomen Monachi gero, vidi Eliam, vidi Ioãnem in deserto, & verè in Paradiso Paulum vidi. Cuius viuam formam idem S. Antonius volens in se & suis discipulis exprimere, feli-

[d] *S. Antonius in vita Sancti Pauli.*

tariam vitam in monte saxeo & sublimi, [e] teste S. Hieronymo, instituit, & suos discipulos, antea Cœnobitas ab inuicem seiunxit, ac certo interuallo cellulas ipsorum distinxit, Vti testatur [f] S. Athanasius in vita eiusdem S. Antonij.

e S. Hieron. in vita Sancti Hilarionis c. 26.

f S. Athan. in vita Sancti Antonij à apud Surium.

§. IV.

QVocirca ij Sancti discipuli & Eremitæ ex Cænobitis facti, atque à Magno Antonio instructi, sparsiq. ad normam S. Pauli, per multas ætates in diuersis Regionibus Paulinam Eremum adornarunt, & regulam Eremiticam vita, moribusq. S. Pauli Thebæi expressam successiuè continuando, solitariè conseruauerunt, ac in tantum numerum in sola Aegyptiaca solitudine primo sæculo suæ ætatis creuerunt, vt ad 3000. aut eo amplius eorum Lucius Arianus per belli duces occidi curauerit, [g] Prout testatur Ruffinus lib. 2. Quorum nomina si scire quispiam velit, non tædeat illum videre [h] Cap. 4. Historię Ordinis, vbi præter S. Antonium, Hilarionem, Pachomium, Paphnutium, Macarios, inueniet plurimos alios, quorum exempla miræ sanctitatis imitetur.

g Ruffinus lib. 2. Historiarum c. 3

h Cap. 4. Ordinis.

§. V.

VEnio in Syriam, quam alij Sanctissimi Eremitæ Paulini, odore bono Christi hoc ipso primo sæculo impleuerunt, inter quos primũ locum habuit insignis Publius, qui dæmonem Iuliani decem diebus oratione sua, non aliter quam catenis vinctum & carceratum in Syria detinuit. Plurimi alii sectatores S. Pauli Thebæi eundem vitæ modum solitarium, sed ab omni perturbatione vacuum in Syria exegerunt. Lege [i] Theodoretum, [K] & Annales Eminentissimi Baronii Cardinalis S. R. E. in Anno Domini 370.

[i] Theodoret. l. 4. cap. 26.
[K] In Annal. Emin. Baron. S. R. E. C. in Anno 370.

§. VI.

EOdem sæculo clarissimum lumen Pauline solitudinis in Syria accessit, sanctissimus nimirum Doctor Ecclesiæ D. Hieronymus, qui ingenuè calamo proprio fatetur; se non alium sui Instituti, seu propositi habuisse Auctorem & Magistrum, quam Sanctum Paulum Thebæum, & reliquos eius successores, [l] Floruit eodem tempore in Syria admirandus Bonosius, Theodosius, Symon Stylites, Aphraates, Iacobus Nisilita, & alij plurimi in cauernis, & speluncis conclusi, solis voluntariis votis, vitæ Paulinæ ibidem alligati, qui propositum semel susceptum æmulandi

[l] S. Hieronymus Epist. 13. ad Paulinū.

landi solitariam vitam, & austeritatem Parentis sui Pauli Thebæi extremo Spiritu consumauerunt.

§. VII.

TOT tantorumq. Virorum Sanctorũ Anachoretarum ferax fuit Eremus Paulina primo Sæculo suæ ætatis, reliqua autem sæcula videlicet secundum vsque ad octauum, mihi longum esset scripto texere. & Lectori beneuolo tędiosum tàmdiu in breui Epitome Paulinæ solitudinis immorari. [m] Remitto studiosiorem Lectorem ad opus Historiæ ordinis amplè satis ex odoriferis Cupressis, Cedris, Rosis, Palmis Eremi Paulinę fabricatum, & diuersis floribus sanctitatis Anachoretarum refertum, ne Lector tædio in legendo afficiatur.

[m] *Vide Historiam ordinis.*

§. VIII.

NVnc mei propositi est, omnibus clarè manifestare, quo Auctore & quo tempore hæc progenies vera ac germana Sãcti Pauli Thebæi in Hungariam, Hispaniam, Istriam, Poloniam, Sueuiam, Austriam, Silesiam, Galliam, & alias Prouincias diuersorum Regnorum peruenerit.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Per quem vita Eremitica in Hungariam introducta fuit.

§. IX.

PRimus igitur Paulinam Eremum in Hungariã inuexit. [m] S. Gerardus natione Venetus qui sacra loca Hierosolymæ inuisens solitarium genus vitæ successorum S. Pauli Thebæi in illis partibus abundè contemplatus, id ipsum in Hungariam transtulit, & in se ipso expressit vitam Eremiticam primus ad normam S. Pauli Thebæi in Bèel ducens; tempore Sancti Stephani Apostolici Regis Hungariæ [n] vt testatur Ioannes de Thurocz in Chronico Hungariæ cap. 40. Secundę partis.

[m] *S. Gerardus in Hungaria primus Eremita Paulinus; Septembris in Surio*

[n] *Ioannes de Thurocz in Chronica Hungaria c. 40. 2. part.*

§. X.

SVb idem tempus quinque Fratres Poloni vti sanguine germani, ita solitudinis incolendæ zelo pares, videlicet Benedictus, Ioannes, Matthæus Isaac & Christinus Sancti [o] Adalberti peregrinationis comites, adscito sibi socio nominato Barnaba Eremum Paulinam in vasta solitudine apud Casimiriam maioris Polonię plantauerunt

[o] *23. April. in Martyrologio Rom.*

uerunt, ibiq; exemplo Pauli Thebæi ab inuicem ſequeſtrati, in continuis orationibus, Pſalmodijs, contemplationibus diuinis, ſilentio, vigilijs; & auſteritate tanta victus vixerunt, vt non niſi ſemel in hebdomada oleribus & aqua, pane nonnunquam adhibito ſe reficerent. Hi à Boleslao Chabro pio & Rege Polonorum viſitati, ac demum muneribus maximis donati, à latronibus ſpe theſauri inueniendi prima vigilia noctis trucidati ſunt. [o] Anno Domini 1005. & ſic æmuli inſtituti Eremitarum Aegyptiorũ à cultura Eremi Paulinæ in vaſtis deſertis Poloniæ deſierunt.

o Quinque Fratres Eremitæ Paulini trucidantur 1005.

§. XI.

QVo terrore perculſi duo inſignes viri videlicet Andreas Zoerardus & Benedictus ex Polonia in Regnum Hungariæ trãſeũtes; memorato S. Gerardo acceſſerunt: * quorum primus ex Cænobita monaſterij Zobor Eremita Paulinus in Nitrienſi territorio factus: confeſſionis merito Angelicis choris adiunctus, piè exiſtimatur: alter autẽ diſcipulus ipſius pro Chriſto ſanguinem fudiſſe fertur prope fluuiũ VVag dictum, ſi credimus [p] Mauro Epiſcopo quinque Eccleſienſi.

o Zoerardus & Benedictus Poloni accedunt S Gerardũ

** Vide vitam admirabilem vtriuſque SS. in tom. 3. Surij die 1. Maij.*

p Maurus Epiſcopus Quinq. Eccleſienſis.

§. XII.

HOrum exemplo præclarus quidam vir nomine VVaac nuncupatus ſolitarius primum in quodam deſerto circa littus Danubii nõ longe à Viſegrad, deinde in ſylua Piliſienſi conſedit, vbi Geiza Rex Hungariæ merito VVaacii à Salomone Rege protectus [q] VVaacziã Ciuitatem & Baſilicam Clementiſsimæ Dominæ Eremitarum Paulinorum Patronæq; totius Regni Hungariæ celebrem ædificauit. Vide Bonfinium decade ſecunda lib. 3.

[q] *Rex Geiza Eccleſiam fundat Bonfinius lib. 3. decade ſecũda.*

§. XIII.

NOn memoro infinitos alios, qui ſimilem vitæ curſum ſolitarium & diſperſum, viuam normam S. Pauli Primi Eremitæ æmulantes ibidem iniuerunt, & partim terni, plures vero ſinguli, diſtinctis habitaculis adhæſerunt: quorũ ſucceſsores Eremiticũ vitæ genus in Clauſtrale cõmutauerunt, ſolitarias tamẽ virtutes ſicut cũ numine, ita etiã cũ nomine S. Pauli primi Eremitæ retinuerunt, idq; in Anno Dñi milleſimo ducenteſimo decimo quinto [r] Quibus Reuerendiſ. Bartholomæus Epiſcopus Quinq; Eccleſiẽſis primũ Monaſteriũ in Hungaria & EccleſiãS. Iacobi in Patach extruxit, modum viuendi Regulariter præ-

[r] *Fundatur Clauſtrum S. Iacobi.*

præſcripſit, & Superiorem ipſorum pro tunc Patrem Antonium titulo Prioris inſigniuit.

§. XIV.

HAec dum in Diœceſi Quinq. Eccleſienſi agerentur. interim.[s] Euſebius Canonicus Strigonienſis motus vita & exemplo Eremitarum Paulinorum Canonicatum in manibus ſui Præſulis reſignauit, & in Eremo Piliſienſi Archidiœceſis Strigonienſis Paulinam vitam duxit, & cum precibus nocturnis vigilantius in ſolitudine illa intenderet, habetur in Hiſtoria Ordinis,[t] vidiſſe quaſdam lucernas in certis locis quę ab Eremicolis incolebantur, ad quarum ſplendorem dum dubius hæreret quid nam præſagij ferrent, en omnes illæ lucernæ in vnam & eandem conuenientes maiori lumine tenebricoſam Eremum illuminaſſe. Tandem orationi feruentius deditus petijſſe rei nouitatem ſibi aperiri, Vnde habetur ex Hiſtoria Ordinis quod audierit: lucernas illas ab inuicem diſtinctas per Eremum denotare Eremicolas, quod ſicut illæ lucernæ in vnum coeuntes maiorem effecere claritatem, ita Eremicolas eoſdem maiorem fructum facturos, ſi vna conuenientes, in vitam Cœnobiticam migrarent. Hac occaſione Euſebius congregationem, ſimilem priori ex Eremitis in[u] Anno Domini

[s] Euſebius ex Canonico fit Eremita.

[t] Euſebius viſionem habuit.

mini 1250. ad S. Crucem adunauit, quæ postea Congregatio Auctore eodem Eusebio in vnum cum Patachiana coaluit, & ordinem S. Pauli primi Eremitæ propagauit. Cuius primus Prouincialis omnium consensu fuit institutus idem Eusebius, sub cuius regimine plurimi Conuentus Eremitis Claustralibus impleti in Diœcesi VVesprimiensi consurrexerunt. * Pro quibus idem Eusebius in Anno Domini 1261. Regulam S. Augustini ab Vrbano IV. expetijt, à quo relegatus est ad Paulum Episcopum Vesprimiensem cum literis Apostolicis et plena facultate eandem Regulam S. Augustini Eremitis Paulinis concedendi, dummodo facultates haberent de quibus sustentari possent. Verum cum non inuenirentur tanti prouentus, qui eis sufficerent ad obseruantiam dictæ Regulæ, concessionem illius distulit ad vlteriora tempora, [x] Domos autem & Collegia ipsorum in quibus tunc erant inculcu Eremitico approbauit & salutaria statuta iuxta vitam S. Pauli Thebæi ipsis præscripsit in Anno Domini 1263. Demum omnes qui sub habitu prædictorum Fratrum Eremitarum vbique locorum inuenti fuissent, renuentes Claustrali iugo subesse Excommunicationis sententia subiecit.

[v] An. 1250 fūdatur Monasterium S. Crucis: Eusebius fit primus Prouincialis,

[*] S. quoque Thomam de Aquino inuenio in Annalibus Eremitarum fuisse adiutorem Eusebij in Cur Roman.

[u] Ab Vrbano IV. Apostolica authoritate Antistiti Vesprimiensi Paulo commendantur Eremitæ Paulini.

[x] Paulus VVesprimiēsis Antistes statuta præscribit Eremitis, quæ successor eius Benedictus, & demum Lodomericus Archiepiscopus Strigoniensis confirmarūt.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Eremitis Paulinis in diuersis Prouincijs Monasteria fundantur.

§. XV.

CAeterum inter omnes hos Conuentus Monasterium S. Crucis in Pilisio primatum habuit, & omnibus pro tunc Eremitis ad Cœnobia collectis [y] Eusebius viginti annis in officio Prouincialatus præfuit, ac tandem in Anno Domini 1270 in Eremo ad S. Crucem Spiritum Deo reddidit.[z] Cui successit Benedictus primus discipulus illius, qui insignem probitate quendam Patrem nomine Isquirinum eodem anno sui Prouincialatus misit in Dalmatiam, vbi prope Patriam [a] S Hieronymi fundauit Monasterium de Dubicza vocatum, ad quod varios Eremitas per solitudinem dispersos congregauit sanctumque Hieronymum Paulinum Eremitam extitisse prędicans in Viros Claustrales formauit, tandem Zagrabiam veniens à Venerabili Capitulo[b] Monasterium Rhemetense pro suis socijs obtinuit. Idem Pater Benedictus secundus Prouincialis Ordinis Paulinorum destinauit ad partes Istriæ Anno Christi 1287. alium Patrem nomine Con-

y B Euse-bius moritur. 1270.

z Benedictus fit Prouincialis.

a In Patria S. Hieronymi fundatur Monasterium.

b Monasterium Remetense fundatur.

radum Eremitici propositi plurimum tenacem qui ibidem [c] aliquot Claustra pro Fratribus Eremitis procurauit. [d] Vixit autem Benedictus in officio Prouincialatus annis decem, & habuit successorem [e] Patrem Stephanum non minori zelo Paulinæ Reipublicæ promouendæ inflammatum, cuius tempore & vigilantia plurima [f] Monasteria in Archidiecœsi Strigoniensi creuerunt sub Lodomerico Archiepiscopo.

c In Istria fundantur Claustra Eremitis Anno 12 9.

d Benedictus moritur

e Stephanus eligitur in Prouinc.

f In Archidiecœsi Strigoniensi monasteria fundantur.

§. XVI.

HVnc subsecutus pietate & prudentia in regenda familia Paulina celebris Laurentius Strigoniensis, qui sollicitus de ampliandis Claustris gregis Eremitici sibi diuinitus commissi, primum prope Budam Hungarici Regni Metropolim celebre Monasteriũ [g] S. Laurentij procurauit. Deinde exemplo Eusebij Regulam pro Fratribus S. August. ab Eminentiss. Card. Gentili à Monte Florido pro tunc Legato Apost. à Latere fel. recordationis Clementis V. ad Regnum Hungariæ in Anno Domini 1308. expetijt, [k] & feliciter obtinuit, cum plena facultate Constitutiones condendi, Fratres a quibusuis [*] Censuris Ecclesiasticis absoluendi, & alijs Ordinationibus pro salute Animarum statuendis, prout in Domino expedire visum foret. His omnibus cum actione

g Fundatur illud celeberrimum Monasterium S. Laurentij Budense.

k Conceditur eis Regula S. Augustini 1308.

** Priuilegia Fratribus Eremitis à Clemente V. concessa.*

actione similium gratiarum; accessit fauorabilis consensus & Confirmatio[l] Sanctissimi Domini nostri Ioannis XXII. ad instantiam Serenissimi Caroli Regis Hungariæ Anno Incarnationis Dominicæ 1343 studio & labore dicti Patris Laurentij, qui postea ex Prouinciali primus[m] Generalis Ordinis vnanimi omnium Fratrum suffragio creatus fuit.

[l] Eadem Regula S. Augustini à Io. 22. confirm.

[m] P. Laurentius fit primus Generalis Prouincianum.

§. XVII.

HVic successerunt plurimi alij Generales; sub quorum regimine fuere in sola Hungaria, Croatia, Sclauonia, Dalmatia Istria [n] Centum septuaginta circiter Monasteria, benè prouisa, prounc autem, O conditionem deplorabilē! à Turcis, & alijs Fidei Catholicæ aduersarijs solo adæquata, vt vix vestigiū aliquod, plurimorum præter memoriam in actis Ordinis expressam, extet. [o] Quinam viri Illustres, Infulati & explanatores mysteriorum diuinorum ex hoc agmine Eremitico prodierint, relego Lectorem ad Historiam Ordinis.

[n] Sub Corona Hungaria 170. Monasteria Eremitarū Paulinorum.

[o] Viros Illustres vide in Annalibus Religionis.

§. XVIII.

HInc deinde ijdem Eremitæ facti Cœnobitæ in diuersas Regiones à diuersis Principibus

p *Eue cantur Eremita in Poloniam Silesiam à Ladislao Duce Opoliensi Anno 1382.*

bus euocati fuere: p Vt in Poloniam & Silesiam occasione Sacræ Imaginis B. Mariæ V. à Diuo Luca depictæ, & in toto Septentrione miraculosissimæ, à Ladislao Duce Opoliensi in Anno Domini 1382. Et in Sueuiam 1344. Anno, gratia Illustriss. Domini Rudolphi Comitis de Hohenberg consedeunt: In Austriã vero 1480. ab Augustissimo Imperatore Friderico III. In Hispaniam, Italiam, Portugalliam & alias Prouincias diu ersis temporibus liberalitate Principũ prodierunt, vbi plurima Monasteria successu tẽporis cum venisset plenitudo beneplaciti diuini, augendi domicilia Eremitarum Paulinorum consurrexerunt, quorum plantationes, & Fundatores, si scire volueris, consule Auctorem Historię Ordinis.

§. XIX.

r *Eremitarũ monasterium Hierosolimis teste Ioanne Zualardo fol. 246.*

VNicum non prętereundum memoratu dignum censeo, quod pręclarus Ioannes Zualardus Eques Sanctissimi Sepulchri in libro suæ Hierosolomitanæ peregrinationis edito Anno 1587. folio 246. annotauit, describens montem Thabor & tria Tabernacula Saluatoris Moysi, & Eliæ, hæc subiungit immediate, Idiomate, Italico in hæc verba: Fuit etiã magna Ecclesia fabricata per Sanctam Helenam cum vno monasterio

rio

rio bene dotato à Serenissimo Rege Hungariæ, quod inhabitabat magna multitudo Monachorum Hungarorum Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ. Hinc collige Lector beneuole, Successores S. Pauli Thebæi, plurima habuisse in diuersis Prouincijs Cœnobia, quæ hic non sunt expressa.

§. XX.

Porro institutum primæuum Fratrum eiusdem Ordinis simile fuit cum Patribus Carthusianis, contemptis videlicet omnibus rebus mundanis; & cunctis grauaminibus remotis, contemplatione rerum diuinarum, saluti animæ suæ & soli Deo vacare, ipsius iram, & iustam indignationem, ieiunijs, disciplinis, profundo silentio, Psalmis & Hymnodijs, Vigilijs nocturnis & diurnis, ac alijs macerationibus corporis placare, & ab humano genere perdendo auertere; summa autem deuotione animi Diuinum opus perficere, inferiorem partem in seruitutem Superioris redigendo. Vnde ijdem Eremitæ Paulini. [t] gaudent omnibus Priuilegijs, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, quibus & Patres Carthusienses, ex concessione Sanctissimi D. N. felicis recordationis Martini V. de data Constantiæ in Gallia V. Calend. Ianuar.

[s] *Institutum simile olim cum PP. Carthusianis.*

[t] *Iisdem quibus P. Carthusienses gaudent Priuilegijs.*

Pon-

Pontificatus sui anno primo, ac aliorum sanctissimorum Pontificum.

CAPVT QVARTVM.

Vitam contemplatiuam actiua temperant, & suscipiunt curam animarum.

§. XXI.

POstea concurrente maximo agmine fideliū pro deuotione & confessione sacramentali ad dictos Fratres Eremitas, cum priuato propriæ perfectionis studio, salutis etiam alienæ curam ex charitate in [a] Anno Domini 1352. susceperunt, annuente sanctissimo Domino nostro Clemente VI. Pontificatus sui Anno X. de data Auuennione nonis Martij: Item fel. recor. Martino V. Incarnationis Domin. Anno 1417. Et Eugenio IV. In Anno Domini 1434. de data Florentiæ 3. Calend. Octobris Pontificatus sui Anno IV. ac alijs summis Pontificibus, vt id ipsum institutum vitæ contemplatiuæ quod in meditatione sacra suxerunt, & in dies sugere consueuerunt Christi fidelibus per pias exhortationes, Conciones, Sacramentalem Confessionem, & administrationem aliorum sacramentorum abundè sumendum in medelam & refrigerium ani-

[a] *Anno salutis 1352. Curam animarũ suscipiunt.*

animarum omnium proximorum propinarent, & in salutem ipsorum incumberent.

§. XXII.

QVod quidem institutum, vtriusque vitæ contemplatiuæ & actiuæ, quam fideliter dicti Patres exequantur, experientia quotidiana docet.[x]

x Multa millia hominum certis temporibus concurrunt ad monasteria aliqua eorum causa pietatis & deuotionis, vbi Infideles baptizantur & alij numerosi ad veram fidem conuertuntur.

§. XXIII.

HÆc Tibi Lector beneuole sufficiant breuiter scripta de antiquitate Originis, & pietate instituti Fratrum Eremitarum Paulinorum;[z] Neq; mireris candidum vestitum ipsorum cum vti filij obedientes, Patrem suum in omnibus actibus interioribus & exterioribus imitari satagunt[a] quem S. Antonius, teste S. Hieronymo, non alio, quàm niueo candore fulgentem vidit inter Angelorũ cateruas, & Prophetarum ac Apostolorum choros in Patriam cælestem ascendere.[b] Cuius Sacratissimum Corpus, opera Augustissimi Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris è gremio terræ effossum, Constantinopolim translatum fuit.[c] In Anno autem Domini 1240. à pijssimo Iacobo Lancio Amplissimæ & Florentissimę Reipublicæ Venetæ Sena-

z Quare in albis incedũt.

a Visio S. Antonij.

b Translatum corpus ex Thebaide Constantinopolim.

c An. 1240. ad Venetos

toria dignitate & opum ſplendore alios præcellente, apud Primarios Vrbis Constantinopolitanæ obtentum, & Venetias deductum, ex Sènatus conſulto in Eccleſia S. Iuliani Martyris honorificè depoſitum fuerat.

§. XXIV;

[d] In Hungariam Anno 1381,

[e] Reconditur in monaſterio S. Laurentij Budæ.

[f] In Arce Trenchin cõbuſtum.

[g] Reliquiarum eius particula Romæ, & veſtis pars ibidem.

TAndem [d] Anno reparatæ ſalutis 381. ſupra milleſimum ſub Sereniſſimo Rege Hungariæ Ludouico Budam tranſportatum, deinde 28. Decembris in Eccleſia [e] S. Laurentij Fratrum Eremitarum Filiorum illius; per Eminentiſſimũ Cardinalem Demetrium & Archiepiſcopũ Strigonienſem repoſitum, ſemper integrum mãſit. Ad extremum in communi clade & incendio Regni Hungariæ ab impijs Sanguinarijs, quis non ingemiſcat & lacrymas eliciat! [f] in Arce Trenchin cõbuſtum Angelis cineres ipſius conſeruantibus: [g] excepta vna particula Oſſis ipſius quæ Romæ in Baſilica S. Petri aſſeruatur, & certis diebus in Anno; cultui fidel um veneranda exhibetur, & altera quæ in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis de Victoria PP. Carmelitarum veneratur: Particula quoque veſtis huius Sancti quam ex Palmæ folijs ſibi contexuerat aſſeruatur Romę in Eccleſia Religioſorum Matris Dei; Cum quo ſi partem in Paradiſo cæleſti habere

cupi-